



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 20. Exempla Sanctorum ex Scriptura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Bona humilitas! quæ, nihil appetendo, totam, quod contemnit, adipiscitur. S. Ambros. in Pl. 18. 4. 14.

Prius tibi displiceat, quod es; ut possis esse, quod non es. S. August. serm. 2. fer. 5. Pasch.

O sancta humilitas! tu omnium te novissimam credens &c. Vide hoc tit. §. 9. Ex Patribus.

§. XX.

Exempla Sanctorum ex Scriptura.

Moyses pascebat oves Jethro. Ex. 3. 1. Nihil a Moyses indole videbatur alienius. Vir erat, non solum in palatio enutritus, & aulicorum commercio assuetus; sed etiam omni Ægyptiorum literaturâ eruditus. Quid ergo vana doctrinæ cum munere pastoritio? Dionysius Carthus. monstratur hic humilitas Moyses; qui, cum antea fuerit tantus vir, non recusavit illud officium. Et puto, quod libenter illud assumpsit, atque exercuit: quatenus, sequeltratus ab idololatris Madianitis, apertus Deo vocaret, in campis, & lucis eremi, solus. Ramirez in ep. 3. Chr. ad Ep.

Ego stratus tuus vadam, & pugnabo adversus Philistæum. 1. Reg. 17. 32. David in regali culmine Monachi vitam imitabatur. S. Chrysost. in Pl. 50.

Bonum mihi quia humiliasti me. Pl. 118. 71. Cur non agit gratias, quod pedum scepro, stramineum pileum coronâ regiâ, mutârit? quod ab ovibus ad solium evectus? Equidem has, & similes, gratias, singulares censet. At longe majus beneficium æstimat; quod è rege DEUS mendicium se fecerit: uti prolixus fuit, dum fugeret Absolonem. Dixerit Joseph suo Pharaoni, bonum mihi, quia exaltasti me. Dixerit Ruth suo Boozio; bonum mihi, quia ditasti me. Dixerit Esther conjugii regio, bonum mihi, quia coronasti me. Dixerit Mardocheus Alivero; bonum mihi, quia honorasti me. Dixerit Tobias Angelo; bonum mihi, quia illuminasti me &c. At David inter maxima beneficia reponens ait: bonum mihi, quia humiliasti me. Drexelius Gymn. Pat. p. 2. c. 5.

Quorum (peccatorum) primus ego sum. 1. Timoth. 1. 15. Sic explicat S. Bernardinus Dom. 10. Pent. Sicut patiens dolorem dentium æstimat se præ aliis pati: non quia per rationem judicet suum esse majorem; sed quia intimius, & fortius, & certius, sentit dolorem suum, quam aliorum.

Est lumen Biptiste humilis veritas, & vera humilitas; quæ totus in corde, & in ore, præfulgens; veras inanis gloria, quæ stultis lumen esse videtur; tenebras admittere non poterat. S. Rupert.

l. 4 in Joan.



§. XXI.

Humilitatem docet prior status, fragilitas, vilitas, defectus &c.

Ex Veteri.

Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ. Gen. 2. 7. Fecit te è pulvere terræ, sui que imaginem dedit; ut si quando imago DEI inaniter te extolleret, pulvis reprimeret. Oleaster hic.

Cessavit parere. Gen. 29. 35. Abulens. Lia, quæ antea contemptibilis; abundantia sibi felix postea visa est. Sed quia, si sic successus procederet, Lia in superbiam efferretur, & Rachel vindictam caperet, se totaliter infelicem reputans; cessavit Lia parere, nè inflaretur &c.

Ipse verò claudicabat pede. Gen. 32. 31. Victor Jacob claudicabat pede. Dum fortitudinem jactant brachia, contraxere corpore femora. Erat benedictus, & claudus. Nulla est adeo absoluta victoria, ut nulla super sit pugna; cum ipso triumpho certandum, nè superbias. Naxera in Jos. 15. §. 43.

Proximus leprosum. Ex. 4. 6. Dicit Theodoretus: DEUS voluisse Moysen hoc signo admonere perpetuæ humilitatis; quando manum ejus futuram thaumaturgam, & ipsa etiam clementa commutaturam, prius leprâ infecit. Cornelius hic. Fide magnâ mirabilia plurima patravit; ad petram nutavit. Num. 20. 10.

Jebusæum habitatorem Jerusalem non potuerant filij Judæ delere. Jos. 15. 63. S. Gregor. lib. 4. mor. cap. 22. quædam minima vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exercent. Naxera in Jos. 15. §. 43.

Timuit & surgens abiit. 3. Reg. 19. 3. Elias ignem de cælo deposuerat, aquas cælo ligaverat; & tamen, pavore unius mulieris territus, per desertum fugiebat. Apparet fugienti Angelus, cibum præstat, quia longum iter restat. Prædicat, & tamen timorem de corde non excutit: quia in corde prophetæ magna erat custodia fortitudinis illa infirmitas timoris. S. Gregor. hom. 14. in Ezech.

Peccavit anima sua, ut moveretur. 3. Reg. 19. 4. Unde tantus pavor, tanta consternatio, in Elia? qui antea impavidus certabat cum Achab, & Baalitis, eosque superaverat? Resp. quia subduxit illi Dominus robur à se inditum: ut agnosceret, fuisse donum Dei; se verò ex natura sua timidum, ut alij sunt homines. Cornelius hic.

Theodoretus q. 57. Timor erat divinæ dispositionis: nam, nè magnitudo miraculi ejus spiritum nimis attolleret, concessit gratia naturæ, ut timorem fusciperet; ut suam agnosceret imbecillitatem.

Pedum pars quædam fictilis. Dan. 2. 33. Habent etiam perfecti secundum quid aurei, fictilis, & lutei; saltè in pedibus, ut statua illa. Naxera in Jos. 15. §. 43.

Rrr r 3

Ex